

3.
SENTENTIA DEFINITIVA COLLEGII

Prot. n. 53235/17 CA
Ecclesiae X adaperiendae
(D.nus Y – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA
IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VII, die 8 octobris 2019, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto* et *Ponente*, Zenone Card. Grochowski, Raimundo Leone Card. Burke, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao Zvolenský et Francisco Daneels, O. Praem., atque intervenientibus Cl.ma Lucia T. Musso, utpote Recurrentis Patrona, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis et Em.mi Archiepiscopi N, atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae deputato, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

Exc.mus Z, illo tempore Archiepiscopus N, Litteris Circularibus diei 25 septembris 2015 paroecianis praenuntiavit unionem extinctivam trium paroeciarum X, V et W, necnon erectionem novae paroeciae L dicatae. Die 18 novembris 2015 decretum suppressionis praefatarum trium paroeciarum tulit et die 1 ianuarii 2016 Ecclesiam X definitive claudere fecit.

Die 15 septembris 2016 Cl.mus Y ab Exc.mo Archiepiscopo expostulavit ut ecclesiam denuo aperiret. Nulla responsione obtenta die 24 octobris 2016 apud Congregationem pro Clericis de clausura ecclesiae conquestus est.

Litteris diei 19 decembris 2016 Congregatio ad responsionem negativam diei 9 decembris 2015 circa recursum diei 22 novembris 2015 adversus suppressionem paroeciae datam remisit, asserens decisionem in praefato recurso impugnatam etiam reductionem X comprehendisse.

Die 28 decembris 2016 D.nus Y adversus praesumptam responsionem negativam (cf. can. 57, § 2) Exc.mi Archiepiscopi ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae litteris die 4 martii 2017 ad responsionem die 19 decembris 2016 datam remisit, asserens se instantiam examinare nolle, quia terminus peremptorius ad impugnationem sive unionis extinctivae paroeciarum sive reductionis ecclesiae in usum profanum iam transactus fuisset.

Cl.mus Y minime acquievit, sed die 24 maii 2017 adversus silentium seu praesumptam responsionem negativam Congregationis et, subordinate, adversus litteras eius diei 4 martii 2017 ad H.S.T. provocavit.

Actis die 29 septembris 2017 obtentis et examinatis Exc.mus H.S.T. Secretarius recursum decreto diei 26 octobris 2017 ob defectum praesuppositi, scilicet recursus intra terminum peremptorium adversus clausuram ecclesiae interpositi, in limine reiecit.

Quo decreto die 6 novembris 2017 recepto Cl.ma Adv. ta L.T. Musso die 15 novembris 2017 recursum ad Em.mum H.S.T. Praefectum interposuit, qui, diebus 28 maii et 1 iunii 2018 peracta disceptatione in Congressu, decrevit: *Confirmandum esse et facto confirmari decretum ab Exc.mo H.S.T. Secretario die 26 octobris 2017 relate ad reductionem ecclesiae X in usum profanum latum; Admittendum esse et facto admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus recursum adversus silentium quoad Ecclesiam X adaperiendam. Immutavit inscriptionem recursum ad Collegium in: Ecclesiae X adaperiendae, concesso effectu suspensivo quoad alienationem vel saltem subscriptionem cuiuscumque contractus alienationis.*

Deinde die 20 iunii 2018 dubium concordatum est sub hac formula: «**An constet de violatione legis *in procedendo vel in decernendo* relate ad silentium Congregationis pro Clericis quoad recursum hierarchicum die 28 decembris 2016 propositum**».

Die 17 iulii 2018 perventa responsione Em.mi Archiepiscopi N circa investigationem in archivo Curiae metropolitanae et inter Cl.mos Patronos partium Rev.dumque Promotorem Iustitiae deputatum re rite discussa, Nobis nunc dubio concordato respondendum est.

IN IURE ET IN FACTO

Inde a Congressu nova et unica est inscriptio: *Ecclesiae X adaperiendae*, quam ob rem nec amplius disceptandum est de reductione huius ecclesiae in usum profanum.

Constat ex actis Exc.mum tunc temporis Archiepiscopum Z futuram clausuram ecclesiae neque Litteris Circularibus diei 25 septembris 2015 fidelibus nuntiavisse neque ad rem decretum tulisse. Nec mera unio extinctiva paroeciarum secumfert reductionem ecclesiae in usum profanum. Em.mus M, novus Archiepiscopus N, ab H.S.T. interpellatus, die 12 iulii 2018 respondit in archivo deesse quodcumque documentum reductionis ecclesiae X in usum profanum: «We have been unable to locate a Decree of Restitution to profane use in the files of this case.»

Iuxta iurisprudentiam H.S.T. clausura definitiva ecclesiae cum eius reductione in usum profanum aequiparatur. Ex litteris ab ipso Recurrente die 6 ianuarii 2016 ad Summum Pontificem missis evincitur factum clausurae ecclesiae X diei 1 ianuarii 2016 eidem iam tempestive notum fuisse. Poterat tunc illud factum impugnare vel formale decretum exquirere ad id impugnandum. Semper eidem facultas patebat aperiitionem ecclesiae petendi, nisi decreto ad normam cann. 48 et 51 lato et legitime notificato ter-

minus ad remonstrationem et dein recursum hierarchicum interponendum reapse currere inceperit.

Congregatio ipsas litteras Exc.mi Archiepiscopi diei 25 septembris 2015, in quibus nullo modo de ecclesia claudenda fit sermo, haud recte interpretata est, uti clare animadvertibat ipse D.nus Y, nec exquisivit decretum, de quo ipse bene asseruit id verisimiliter numquam latum fuisse, quodque relate ad assertionem Cl.mi Recurrentis se exemplar decreti pluries frustra exquisivisse simpliciter arguit probationes ad rem non fuisse exhibitas, quin eas peteret.

Exc.mus Archiepiscopus ad petitionem novae aperi-tionis ecclesiae diei 15 septembris 2016 respondere debuisset, quia clausura permanens ecclesiae sine reductione in usum profanum impugnata est. Nec interruptum est silentium Exc.mi Archiepiscopi litteris Congregationis diei 19 decembris 2016, quibus petitioni a D.no Y die 24 octobris 2016, scilicet praepropere ad eam directae erronee respondit querimoniam respicere decisionem Exc.mi Archiepiscopi diei 25 septembris 2015 relate ad unionem extinctivam paroeciarum.

Idem Recurrens die 28 decembris 2016 adversus praesumptam responsionem negativam Exc.mi Archiepiscopi (cf. can. 57, § 2), scilicet silentium erga die 19 septembris 2016 receptam petitionem iam per tres menses protractum, intra terminum quindecim dierum (cf. can. 1737, § 2) ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae die 4 martii 2017 illegitime ad responsionem die 19 decembris 2016 datam remisit, asserens se instantiam examinare nolle, quia sive terminus peremptorius ad recursum adversus unionem extinctivam paroeciarum sive adversus reductionem ecclesiae in usum profanum interponendum transactus erat, nulla responsione data ad obiectum specificum recursus diei 28 decembris 2017.

Responsio Congregationis pro Clericis diei 4 martii 2017 ergo haberi potest reiectio instantiae a D.no Y die

28 decembris 2016 propositae. Quae responsio ob erroneum praesuppositum seu praesumptionem, Exc.mum Archiepiscopum die 25 septembris 2015 simul cum unione extinctiva paroeciarum etiam reductionem ecclesiae decrevisse ideoque recursum contra clausuram ecclesiae considerari non posse, implicite petitionem, ut ecclesia pro cultu divino aperiretur, reiecit. Dubium concordatum rem potius sub aspectu silentii ex parte Congregationis pro Clericis consideravit, quae utique, instantia D.ni Y ob assertam rationem praeliminarem reiecta, de merito eius instantiae prorsus siluit.

Congregatio die 4 martii 2017 recursum ergo illegitime reiecit, eo quod non pertractavit recursum adversus silentium seu praesumptam responsionem negativam Exc.mi Archiepiscopi ideoque obiectum specificum recursus diei 28 decembris 2017 neglexit, quod constituit violationem legis *in procedendo*. Praeterea erronee praesumpsit litteras communicationis unionis extinctivae paroeciarum diei 25 septembris 2015 continere etiam reductionem ecclesiae X, quod constituit violationem legis *in decernendo*.

Legitima proinde censenda est petitio D.ni Y diei 15 septembris 2016 ut ecclesia aperiretur et legitimus eius recursus diei 28 decembris 2016 ex can. 57, § 2 contra silentium Exc.mi Archiepiscopi interpositus.

Prorsus dedecet clausuram ecclesiae illegitime peractam auctoritati ecclesiasticae favere et fidelibus, quorum interest, nocere, ut Rev.dus Promotor Iustitiae deputatus in voto ultimo pro rei veritate animadvertit: “Nefas enim esset auctoritati concedere ut sese ab obligatione servandi proceduram, de qua in can. 1222, § 2 et emitendi decretum subtrahere possit, si clausura sine ullo decreto peracta decursu decem dierum legitima fieret et aperitio non amplius peti posset”.

CONCLUSIO

Omnibus sive in iure sive in facto aequè rimatis, infra-scripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali se-dentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio propo-sito respondendum esse decreverunt et facto respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in pro-cedendo et in decernendo relate ad silentium Congre-gationis pro Clericis quoad recursum hierarchicum die 28 decembris 2016 propositum.

Effectus immediatus huius decisionis (cf. art. 90 *Le-gis propriae*) est quod ecclesia aperienda et providen-dum est ut saltem nonnumquam actus cultus divini ibi celebrentur (cf. can. 1219).

Pars Resistens summam 1550 Euro pro expensis pro-cessualibus solvat et cautio in arca H.S.T. deposita Parti Recurrenti restituatur. Partes suae quaeque Patronae con-gruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum in-terest communicandam et executioni mandandam decer-nimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 8 octobris 2019.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus et Ponens*

Zenon Card. GROCHOLEWSKI

Raimundus Leo Card. BURKE

+ Stanislaus ZVOLENSKÝ

+ Franciscus DANEELS, O. Praem.

Et notificetur.
Die 26 februarii 2020

+ Iosephus SCIACCA
Episcopus tit. Fundanus
Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA
Vices Praepositi Cancellariae gerens